



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



JOH. VVILH. ENGELBRECHT. D.

Instit. & Juris Criminalis Prof. Ord.

20.

ORATIO

DE

JVRIS NATVRÆ  
ET GENTIVM MA-  
GNO CIVILIS JVRIS-  
PRVDENTIÆ PRÆ-  
SIDIO

dicta publice

a. d. X. Decembr. clcccV.

cum


Professionem Juris Ordinariam  
aufpicaretur,



HELMESTADI

---

TYPIS GEORG-VVOLFGANGI HAMMI, ACAD. TYPOGR.





PRORECTOR ACADEMIÆ JVLLIÆ  
IVSTVS CHRISTOPHORVS BÖHMER  
STVDIOSIS CIVIBVS  
S. D.

**I**ntra cætera patriæ communis meditamenta æterna posteritatis memorie commendanda, id agunt sedulo Serenissimi Nutritores nostri, ut Academie huic bene fit, ut nulla pars præclaræ eruditionis contingescat, ut diuinæ humanæque scientiæ sub Ipsorum auspiciis lætissimo fruantur incremento. Neque enim infra culmen suum aut fastigii dignitatem esse existimant, curam gerere pro litterarum, honestissimorumque studiorum flore; si que provincia apud nos vacua est facta, mature in antecessoris locum surrogant alium, ut ne detrimenti quid capiat Res publica bæc litteraria. Cum igitur vivere desierit, juris omnis, Civilis & Canonici, si quis aliis, peritisimatis, & ob ingentia me-

vita nulli & eo filendus Vir, vel etate ipsa Venerabilis, cuius nomen elogium est, ne in Ordine, cuius, sicut & totius Academie, gloria atque bonos erat pie demortuus, locus aliquis diutule vacet, Indulgentissimi Principes nostri perbenigne prospexerunt. Constitutus scilicet est, clementissima Patrum Patrie voluntate, Institutionum & Juris Criminalis Professor, Vir Nobilissimus & Consultissimus JOHANNES VVILHELMVS ENGEL-BRECHT, atque alium nactus laborum campum, necessaria omnino & laudatissima, si sobrie & ad usum fori accommodate tradentur, juris Civilis studia publicè privatimque in posterum exponet. Non dilaudabo hic operose, quam eximiè is ornaverit hactenus nobilissimam Moralium Professionem, ubique, cives, præverit ad boni honestique moris disciplinam, doctrinā non minus, quam, quod longe potius est, vita & exemplo, ne blandiri vel auribus ejus quid dare velle videar, id quod ab indole mea alienum est, & imbecillibus tantum ingenii probatur. Id unum dicam, illum & Gentilitia decora feliciter tueri, & ornamento fore præclarissimis scientiis, quibus præficitur. Morem autem veterem servaturus, præludet novo muneri auspicali oratione, Crastinoque die X. Decembris hora X. in Juleo majori de IURIS NATVRÆ ET GENTIVM MAGNO CIVILIS IURISPRUDENTIÆ PRÆSIDIO dicit. Attendet oraturo Amplissimus Senatus Academicus, & quin Vos, Cives Humanissimi, adeisse frequenter velitis, nullus dubito, idque ne non faciatis, officiose & per amater vos oro. Valete P. P. in Acad. Julij d. IX. Decembris. c. I. l. CCV.

Magni.

*Magnifice Domine Vice-Rector,*

*Decani Facultatum Speciales,  
Professores omnium Ordinum Celeberrimi,*

*Collega Honorissimi;*

*Plurimum Reverendi Domini Pastores.*

*Hospites Honorandi.*

*Tuque Nobilissimorum juvenum in Reipubl. spem  
Ex decus seculi efflorescentiam lectissima  
concio,*

 Uintus fere defluxit annus , cum POTENTIS-  
SIMÆ & SERENISSIMÆ DOMVS BRVNSVI-  
CO-LVNEBVRGICÆ clementissimo mandato  
professionem moralis doctrinæ suscipere juberet ,  
quam & provinciam auspicali sermone exorsum esse Patres  
Academici rectissime novistis . Quoad itaque mu-  
nus hoc gessi , ita nobilissimorum Commilitonum studia  
cum publica tum privata , quantum fieri potuit , industria  
direxi , ac dirigere conatus sum , ut nullam partem aruspicio-  
simæ doctrinæ temere prætermitterem . Nec defuit labori-  
bus meis Deus ter Optimus Maximus , cuius divinæ provi-  
dentiæ omne illud , si quid à mea tenuitate profectum est ,  
refero acceptum , nullaque re magis quam imbecillitatis  
meæ conscientia glorior . Etenim cum Jurisprudentiæ ci-  
vili , cui maximam lucem infert doctrina Moralis , animum  
adjunxitsem , huc labor meus spectavit semper , ut nobilissi-  
mam

ma<sup>m</sup> studiorum Moralium partem, j<sup>us</sup> Naturæ & Gentium Academicæ juventuti traderem, usumque etiam in aliis disciplinis ostenderem, quorsum & delati muneris spacioſus ambitus & Potentissimorum Principum meorum jussus & voluntas me vocare videbantur. Nunquam certe Academiæ nostræ placuit obscura philosophandi & terminorum nihil significantium vanitate in practicâ præsertim philosophiâ ludendi industria, quandoquidem hic inglorium habetur quod scholam redolet, nec in vitæ civilis præsentissimum usum impenditur. Hoc itaque in amoenissimo literarum otio cum hactenus degerem, & sive porro in Academiâ sive in Republicâ sortem meam, citra ambitum tamen, præstolarer, ecce & Serenissimæ Domus & concordibus Sanctoris Senatus suffragiis juris Professionem Ordinariam capessere jubeb<sup>r</sup>, quam Vir Magnificus, Consultissimus & Excellentissimus Dominus Georgius Engelbrecht, JCtus, Academiæ nostræ tum & Juridicæ Facultatis Senior & Antecessor primarius, & multis annis meritissimus, Serenissimi nunc gloriosæ memoriae Ducis Br. & Luneb. Consiliarius, Codicis Professor Ordinarius, Patruus meus magnus, præceptor ac fautor omni etiam post obitum pietatis cultu devenerandus, ad sedes supernas & meliores discessu, ante aliquot menses vacuam dereliquit. Mallem equidem, si res mei foret arbitrii, vel nomen Viri summi meritisque in omnem Jurisprudentiam illustris silere, & cœnitatis conscientiâ convictus, tam præstanti Jureconsulto me successorem datum ex verecundia diffiteri, nisi gratitudo, quæ beatis manibus me obstringit, ut eloquar, exigeret, & hujus diei solennitas, ac SERENISSIMORVM PRINCIPVM meorum voluntas, demandati itidem muneris ratio publicum sermonem mihi quasi imperarent, quin & imponerent. Cum autem Viri optimi

optimi labores & pro conservanda Academiae hujus gloria  
conatus nemo nostrum facile ignorare possit, elogium an-  
nalibus rectius erit transcribendum, siquidem virtutes sum-  
mæ & consummatæ in transitu laudari non possint, omni  
scilicet elogio majores, ipseque ego à Beati viri laudibus pro  
merito explicandis vel ob proinqquam sanguinis necessitu-  
dinem, vel ob adulacionis metum prohibebar. Ut itaque ad  
institutum accedam, sufficiet arbitror significasse, quod ex  
SERENISSIMÆ DOMVS BRVNNSV. LVNEB. mandato  
Institutionum & juris Criminalis Professionem Ordinariam  
in posterum gerere debeam, spartam sic satis gravem, & vix  
viribus meis ac ætati convenientem, talem tamen, ut in eâ-  
dem ex debito suscipienda nil improbo labore negatum esse  
haud ignorem.

*Magnum opus aggredior, sed dat mibi gloria virea.*

Atque adeo, cum solenne sit, & patrio more receptum, ut  
futuris laboribus sermone inaugurali prouludatur, A. O. O.  
H. argumentum quidem selegi & meis haec tenus studiis con-  
veniens, & novæ professioni minimè contrarium, *de Juris*  
videlicet *Nature & Gentium magno Civilis Jurisprudentia pre-  
fido dicturus*. Et ut huic mœsi orationi non eloquentiâ adeo  
quam brevitate se commendaturæ aures benevolas per  
exiguum temporis spacium præbere velitis, est quod valde  
vos rogatos cupio.

Quando A. O. O. H. nobilissimum civilium  
legum præsidium in verâ nec simulatâ Jurisprudentiâ  
ostensurus sum, operæ forte pretium videretur dicam scri-  
bere iis, qui adeo ambitiose de legibus civilibus sentiunt,  
quasi nullis illæ subsidiis planè indigerent, & tuto ab iisdem  
exulare Moralis æque ac Civilis doctrina posset, quin & o-  
tiari cum otiosissimis. Enim vero nihil illi legibus positivis  
cum Naturalibus intercedere commercii crepant, nihil juri  
cum

cum philosophiâ, quam vel ipfi non didicere, aut discere nolu-  
ere, aut si quid usus habeat, corrumpere tamen illam ma-  
gis mentem quam perficere, nocere, non prodeesse Jurecon-  
sulto incuriosius nugantur. Quasi autem leges positivæ &  
Romanæ potissimum, quæ ex recepto apud nos valent, ra-  
tioni adversarentur, aut legislator civilis quicquam statue-  
ret, quod scitis Naturalibus planè aliter caustum fore, adeo  
que noxium Reipubl. evaderet Naturale jus cum Civili con-  
jungere, cum alterum ex hisce cerebrinam aliquam æquita-  
tem mentiatur. Absit autem ut adversus tam impiè sentien-  
tes disputemus, quibus proprium ingenium sat gravis poena  
est, suoque splendori vindicemus perpetuam jurisprudenti-  
am, ut potius ævo nostro gratulemur, quod postdiminio  
quasi recepta sit non simulata hæc juris philosophia, quæ non  
nisi à vulgo eruditorum & malevolis tanquam intutile impe-  
dimentum magno literarum danno contemnitur, non à cor-  
dationibus, & legum doctrinam justo pretio æstimantibus.  
Videant qui tam abjecte sentiunt de legum notitiâ, quam  
miserè decubuerit, animamque fere egerit medio potissi-  
mum ævo & temporibus huic paulo vicinis jurisprudencia,  
cum cultores illius ne micam studiorum moralium & pe-  
tiæ naturalis juris Civilium interpretationi adduce-  
rent. Accidebat itaque, ut qui Jura exponerent, nihil aliud  
quam aniles obtruderent fabulas, & scholam æque ac Rem-  
publicam opiniones invaderent absurditate suâ insulsæ sapi-  
us & ridiculæ. Recedebatur nimium ab antiquâ illâ & fo-  
briâ juris philosophiâ, quâ conspicui Paulus, Ulpianus, Pa-  
pinianus & reliqui Romani juris antistites antea leges pro-  
posuerant, quæ magnam hodiè partem corporis juris faci-  
unt, & ex veteri jurisprudentia superfunt. Solida itaque cum  
non expenderentur, succedebat barbara admodum & Cyclo-  
pum

pum quasi juris decisio , ubi non legibus sed ense definie-  
batur , si quid forte juris controversi obveniret , unde orda-  
liorum usus , simplex itidem probatio per aquam ferrum can-  
dens & duellum magis magisq; tum invalescebat . Atq; adeo ,  
cum aliquando quæstio illo ævo emergeret in Novellâ du-  
dum decisa , an in successione collateralium cum fratribus si-  
mul fratrum liberi concurrere possent , & ad hæreditatem  
admitti , tam densæ noctes & ignorantiae tenebræ misero-  
rum jurisconsultorum illius temporis menditus incunbe-  
bant , ut juris discussione sepositâ , ad ethnicum illum morem  
Christiani provolarent , duos ex nobilissimâ juventute eligen-  
do , qui ferto invicem experientur , cuinam parti cause vi-  
ctoria effet adjudicanda . Sereniori autem postea navigare co-  
pit sidere jurisprudentia , licet Irnerii interdum aut Accursii ,  
(quos duum viros verò ideo minimè censemus exagitandos ,  
cum non tam hæc hominum culpa sit quam temporum )inter-  
pretationibus non satis adhuc expolita persisteret , donec tan-  
dem ex suis tenebris triumphanti soli similis totis viribus ex-  
rumperet . Etenim tum iterum nausta est viros summos , qui  
adhibito politioris literaturæ præsidio in id gnaviter incu-  
buerunt , ut squalore barbariei deterso pristinum decus & ni-  
torem legum disciplina redderent , illamque genuino suo  
splendori restituere conarentur , non ex musteis lacrimis , ut  
antea factitum erat , sed ex limpidissimis fontibus amplissi-  
mam doctrinam haurientes . Quia in re excellovere potissimum ,  
& melioris spei signum quasi sustulere , Alciatus Italus , Bu-  
dæus Gallus , Udalriens Zasius Germanus , quos trium viros  
postea certatum secuti sunt , quoèquot in legum cultoribus  
sua nomina profitebantur . Neutiquam enim illi Jurecon-  
sulti fuit , qui vix rudè triviali donati , & humanitatis studi-  
is defititi ; mil pñsi caupohariam intendententes Caufidicinam ,

Brandes  
de Vera &  
simulata  
juriscon-  
sultorum  
philo-  
phiā p. 86.  
lib. 1. de  
Legib.  
lib. 1. de  
Orat.

in prefat.  
novā ad  
not. Boe-  
cleri in  
Grot. lib. 2.  
j. b. C. p.

privatū sita perfunditorū degustant. Verissimum namque elo<sup>go</sup> Tulliano non scientia hæc juris, sed ignoratio litigiosa est. Imprimis itaque, quod paulo inferius in reparatoribus Jurisprudentiæ observabimus, summum legum Civilium studio adjumentum præbet interioris philosophiæ perscrutatio. Hinc Cicero dicit, non à Prætoris Edicto, neque à XII. Tabb. sed penitus ex intimâ philosophiâ haurienda juris disciplina. Audiamus eundem Romanæ eloquentiæ parentem alio loco; perdiscendum est, inquit, jus Civile, sed quomodo? Cognoscendæ sunt leges, percipienda omnis antiquitas, Senatoria consuetudo, disciplina Recipubl. jura sociorum, foedera, pactiones, causa imperii cognoscenda. Minime vero omnium JCtus practicâ philosophiâ carere potest, ut verissimum sit, quod communi proverbio dicitur: Ubi desinit Ethicus, ibi incipit JCtus. Moralem autem hic potissimum doctrinam commendo, non illam, quæ ex puerili generalique virtutum enarratione, & morbido ac febriculo catalogo, diversis opinionibus de summo bone, varia amicitiæ acceptione, definitione, ac divisione, decori itidem in genere tantum, cum rusticitas, & impolita vivendi ratio in specie in talibus verti decori in vita civili quam ignarissimis conspicua sit, descriptione, aliisque otiosis speculatiōnibus aestimatur, sed quæ progrediarū ad utiliora, examinando varios & dubios casus officiorum Civilium, trutinando, aequumque Naturale eliciendo, & applicando; Pergat ab Ethica præceptiva ad paradigmaticam, sive exemplarem, Characteristicam, quæ homines virtutibus ac vitiis praeditos dictis ac factis suis quotidianis, velut signis ac notis quibusdam describit. Non possum, quin Summi Schilleri hic autoritate nitar, cujus eadem sententia. Quando, inquit, philosophiam vocamus, moralē intelligimus. Quum enim hec phr-

philosophia omnium disciplinarum materialis & materialis sit, atque  
prima principia fundamentaque jaciat, consequens est, ut e-  
ciam hujus partis *la* *re* *pa* non tantum jaciat, sed & conclu-  
siones intermediae disponat; porro vero lampada tradat JCtis,  
qui juxhabent, principia & decreta secundum artem disposi-  
ta, sive atque ordine ad mores statumque cujusque populi  
Reique publicae applicandi & interpretandi, jusque civile in-  
de fabricandi. Unde & hoc conficitur, ut JCtus absque ha-  
bitu philosophiae moralis perfectus dici nequeat. Nolo hic  
pluribus exponere quanto apud veteres JCtos in pretio mo-  
ralis semper doctrina habita sit, cum leges ipsae Romanorum  
satis loquuntur, ad eam aequitatis opinionem proiectas,  
ut Reipubl ac imperio suo superstites à populis liberis & po-  
tentissimis in juris patii locum fuerint adoptatae. Quatuor  
usus sit iam memoratio doctrinæ in juris studio vel materijs  
de principiis actionum humanarum demonstrat, sine cuius  
cognitione scire JCti nequeunt, quæ, & in quantum actio  
moralis imputabilis sit vel in præmium, vel in poenam. Cap-  
terum quibus actionibus JCtus præmium, illis Moralista law-  
dem tribuit, & quibus hic vituperium, ille poenam consti-  
tuit ordinariam. Quæ autem actiones apud hunc venia  
dignæ judicantur, illæ apud JGtum poena extraordinaria, sic-  
uti & illæ quæ apud Ethicæ Doctores misericordiam merean-  
tur, illarum authores judicio JCtorum ab omni poenâ absolu-  
vuntur. Et ne quis forte in re tam planâ scrupulosa animo  
retineat, in ipsis Legibus Romanis sequitur Naturem  
peccatum exemplis demonstrare mihi liceat, quo vel pal-  
pato possit nobis hoc ac necessarium, quod in Civilis legi  
consumendo praefiducia. Veneratur sane jurisprudentia do-  
ctrinam naturalis juris veluti matrem, & tanquam ex divite  
theatro multa colligit, quæ in ipsis positivis legibus, inere-  
t. 2. dibili

dibili & maximo fructu expenduntur. Sive enim contra-  
etuum sive delictorum, sive rerum sive personarum, sive a-  
ctionum momenta in jure Romano & Justiniano pensites,  
semper & ubique naturalis ratio peculiare legi pondus con-  
ciliabit. Ac quoad contractus quidem admirabilis harum  
legum cum Naturalibus occurrit consensus, quod æque ac  
naturales LL. impuberibus interdicant contrahere, quan-  
tumvis leges naturales certos annos non determinent, qui-  
bus quis ad pubertatem pervenisse dici queat, quippe quæ  
determinatio solius legis positivæ est. Rationem facile de-  
prehendimus, quod illa ætas deceptionibus exposita sit, &  
ob imbecillum ac lubricum intellectus judicium falli nullo  
negotio possit, tanquam cerea in utrumque flecti latus. Pos-  
sunt quidem contrahere Minores, ita tamen ut invitatis ipsis  
curatores constituantur, & læsi restituantur in integrum, quæ  
restitutio vel legis Civilis est vel Prætoriæ, & damnum pas-  
sis nunc quod metus causa, nunc doli exceptione opitula-  
tur, quin & certis ex causis ipsis Majorenibus, prout in-  
teger titulus Digestorum, *Ex quibus causis Majores vi-  
ginti quinque annis in integrum restituuntur* plenius de-  
monstrat. Quare Macedonianum Senatus-Consultum, qua-  
re Vellejanum introductum est? quam ut illo improbi usura-  
rii & fœneratores coercerentur, hoc autem mulieres à fide-  
jussionis nexu liberentur, ne scilicet & hic sexus fragilitas  
in perniciem eorum convertatur. Quid quæso magis conve-  
niens Naturali juri, quam ut Civili Romano culparum præsta-  
tio suos habeat gradus, & in totum remitti possit? dolus non  
æque, ne anfa detur delinquendi, aut pacta de rebus illicitis,  
qualia tam naturalia, quam civilia jurarespuunt, ineantur. Quæ  
in contrahendo æquitas, eadem & circa delictorum coerci-  
tionem satis conspicua est. Hinc regulæ in foro Civili in-  
valuerunt: Factum alienum nemo præstare tenetur; Deli-

Eta debent manere suos authores , quae tamen ita limitanda veniunt; nisi quis ad alienum ejusmodi factum vel committendo; vel omittendo efficaciter concurrerit. Exempla passim iura Civilia suggestur. Unde prudentissime etiam recepta sunt ; poenas pro qualitate delictorum & circumstantiarum vel aggravantium vel minuentium suos habentes gradus; & puniri gravius , quod proæretice & animo doloso , quam quod per culpam delictum commissum est, ubi & licetum interdum quid videtur poenæque exemptum de lege necessitatis quod cæteraque in absentiâ illius necessitatis dirigere non claret, prout in defensione sui ipsius violenta & alii casibus, de quibus Gentium iura plenius agunt, ipseque Grotius per totum fere librum tertium de jure b. & p. disquirit, liquidissimo appareat. De quæstionibus sive tortura vel Christianus . Jureconsultus rectius loqui non potuisse; quam prout de eadem apud Vlpianum L. 1. s. 23. ff. de Quæstionibus ex Naturali lege definitum legimus. Quæstioni, ait, fidem non semper, nec tamen nunquam habenda, constitutionibus declaratur: Etenim res est fragilis, & periculosa, quæ veritatem fallat. Nam plerique patientia, sive duritiâ tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit; alii tanta sunt impatiens, ut quodvis mentiri, quam pati tormenta velint. Ita sit, ut etiam vario modo mentiantur: nec tamen sub praetextu inimicitarum detrahenda fides quæstionis. Optandum hic, ut quando ad Processum nunc delabimur, antiquus ille fori Romani in Germaniâ nostrâ obtineret, ne, quanta hæc felicitate gauderet. Vel unicam legem Proprietatum 13. C. de judicis hic exhibeo, ex qua insignis, si sensu excluderet, miserarum & mille angustiis saepe afflustrum partium utilitas magnumque solatium redundaret.

**Cautum** ea lege est, ut causæ Civiles intra triennium , cri-  
minales intra biennium absolvantur , quæ legis dispositio  
ita ampliatur, ut hoc **tempus non possit prorogari** partium  
consensu ne quidem juramento , neque per viam compro-  
missi, aut poenæ injectionem, quamvis tamen brevius tem-  
pus admitti possit , quia hoc favorem publicum concernit,

*Gail. l. 2.* ut eo citius lites moriantur. Interim tamen & hoc mo-  
*Obs. 14.* nendum, ne in causis arduis properetur, & omnia prius ex-

*Pruck-  
mann.* examinatur, nec enim processus eo melior, quo est brevior.  
Ergo si in causæ cognitione nimium festinet judex, & sen-

*Vol. 2.* tentiam præcipitanter pronunciet , communis Doctorum  
*Conf. 17.* assertio est, eam plane nullam esse , quod pluribus elegan-  
*n. 65.* tissime deducunt Dominus Zieglerus & Brunnemannus

*Dicastic.* Progrediendum hic merito foret ad officia tam erga  
*Conclus.* Deum , quam erga proximum , & nos ipsos, indicando

*26.* officiorum fontes in ipsis legibus positivis , nisi res ipsa lo-  
*Process.* queretur, & inquisitione fastidiosa planè non indigeret. Et  
*Inquisit.* enim de officio erga Deum graviter disponunt leges de ju-  
*c. 8. m. 5.* re jurando, de Sacrosanctis Ecclesiis , de hæreticis , de Apo-  
*n. 19.* statis & aliæ , quæ in Codicis illico justiniane fronte con-  
spiciuntur. De officiis autem erga nos ipsos & erga alios tam  
uberrima seges per totam jurisprudentiam se diffundit , ut  
ad unicum finem, justitiam , tanquam omnium virtutum  
complexum honestè vivendo , suum cuique tribuendo , &  
neminem laedendo tanquam ultimum scopum unice colli-  
neet. Quâ quidem occasione & ad harmoniam juris Civi-  
lis cum illo quod Gentium vulgo dicitur , quodque non ex  
proletaria ac jejuna fæpius terras alieno sole calentes, erra-  
ticorum ignium instar, perlustrantium, seu peregrinantium  
observatione, sed ex communis cultiorum gentium consen-  
sus vel domi etiam instituta solicita inquisitione cordatio-  
rum

rum omnium judicio addiscitur ; quandoquidem id quod  
commune est omnium gentium, singulis quoque gentibus,  
modo ingenii nervos ad hoc discendum velint intendere,  
domi etiam perspectum esse & cognitum consuevit : At ve-  
ro cum & in testamentorum, rerum divisione & acquiren-  
do earum dominio, contractibus itidem qui & Gentium &  
civili jure magis informati sunt, talia non temere ignoren-  
tur , malo hie finire collationem civilis & Gentium iuris,  
quam ista ordiri, quae vel juris tyronibus notissima esse de-  
bent. Quando autem jurisprudentiam universalem ju-  
sto suo elogio ornamus, neutiquam quis eum in finem hæc  
dicta existimet, quasi cerebrinam aliquam æquitatem, spre-  
ta positiva lege , in decidendis controversiis forensibus in-  
scenam protrudere videar. Spectant enim haec tenus dicta  
tum ad interpretationem, tum ad constitutionem juris Ci-  
vilis , cum videlicet quoad definiendas controversias ( nisi  
inter ipsos forte terrarum dominos Reges & Principes disce-  
ptetur , qui positivâ lege superiores sunt ) eo demum casu  
ad naturale jus recurratur , ubi Civilis legislator nihil possi-  
ti vi determinat. Enimvero æqure ridiculum foret , si quis  
negotia in foro occurrentia ex solis legibus Naturalibus di-  
judicanda & definienda falso sibi persuaderet , ac si quis rei  
vindicatione, actione legis Aquilæ, termini moti, aut fini-  
um regundorum judicio Galliæ Monarcham conveniendum  
esse suaderet. Ex quibus autem male Sophista aliquis colli-  
geret, ergo nullum usum exhibes naturalis juris, siquidem  
contrarium jam satis uti spero, monstratum sit , in pu-  
blicis autem negotiis quotidiana illud praxis & experientia  
satis superque evincat. Illud certum est , nobilissimam  
hanc jurisprudentiam hodie non scholæ servire , sed vitæ,  
nihilque in se continere umbratiq , nisi forte tale quid ab  
otiofis

otiosis & ignaris hominibus ipsi affingatur. Agant pro me causam, quæ nunquam suis destituetur patronis, Hugo Grotius, & Samuel Pufendorfius, qui in utraque excelluere jurisprudentia, neutiquam Civile jus cum naturali confundentes, sed civili potius legi maximam lucem ex naturali inferentes. Cumque adeo Civilem jurisprudentiam hodiè à præstantissimis ingeniosis pristino splendori redditam esse videamus, collaudavimus idèò tum publice tum privatim, & venerati sumus magna inter JCtos & illustria sidera, viros omni eruditionis genere conspicuos B. Culpisium, illustrem Coccejum, & Celeberrimum Dominum Schilterum, qui non aliâ viâ quam naturalis & Gentium juris præsidiis ad solidam legum notitiam contendendum existimant. Ne autem extra pomœria nostra constitutis hanc solum gloriam adscribere videar, ecce lulia nostra vel ad invidiam usque illustres, & vel Cujaciis & Gothofredis comparandos ostentare potest, Rachelium suum & Eichelium, utrumque & Philosophum & JCTum incomparabilem, utrumque præter Academicam in exercita etiam & actuosa vitâ versatissimum, utrumque sempiternum Juliæ nostræ ornementum. Taceo Antecessores nostros in aulis postea Principum summis dignitatibus conspicuos, supremisque Imperii judiciis celebres, nunc beatâ æternitate gaudentes, Stukios, Schmerheimios, Eibenios, solidâ hac doctrinâ, gloriâ, famâ, prudentiâ, & rerum civilium usu ad omne ævum quod futurum etiam est provocantes. Quod si ad nostra tempora reflectimus, in omnium recordatione & memoriâ sancte virescit Beati Celeberrimi Antecessoris mei nunquam silenda erga Jurisprudentiam, & felix admodum eo quo dixi modo jura profitendi industria, ex cuius ore saepius audivi, multa se in electione methodi suæ debere beato Eichelio,  
qui

qui in iure Civili non alia quam fundamenta cūfusque negotiis ex philosophiā practicā sternendi ratione sēr per incendium esse crediderit. Nec desunt in Academiā nostra exempla viventium virorum celeberrimorum, quos multum observo & veneror olim praeceptores nunc collegas plurimum Colendos, quorum alter Moralis quondam alter Civilis doctrinæ seu politices professionem magnā cum gloriā est professus, qui solis hisce practicæ philosophiæ præfidiis ad legum civiliū penetralia entredū esse duxerunt, iisdemque adhuc hodie utendum esse fulcris ad jurisprudentiam, seu Edicto. Praetoris jungendum esse non simulatae hujus philosophiæ studium recdissimè arbitrantur. Habeo itaque hic Antecessores, quorum vestigia in tradendo iure optimum ducturus sum laudabilia sequi, quandoquidem illi recto itinerere præcesserint. Omne videlicet vitæ spaciū in civilis sapientiæ studiis exponeridis, tum Romanæ jurisprudentiæ ex illis fontibus, ex quibus profluxit, deducendæ non sine summa animi voluptate impehdam. Fuere enim semper, & adhuc hodiè sunt, & futura magis solidiora illa civilis sapientiæ studia deliciæ mācæ, quibus animum nunquam ad satietatem explere potui, neque jam possum, & forte nec in posterum potero, posteaquam clementissimo Potentissimorum Principum concessō nuper diplomate ad Ordinariam Professionem juris sum admotus. Neque vero adeo habes sum, aut memet ipsum ignorō, ut juvenis, & virilem vix ætatem ingressus non prævideam, quam arduum munus, gravis disciplina à Serenissimis Nutriuciis mihi imponatur, & quantum B. Antecessoris, de Academiā nostra meritissimi Viri, fama me premat: nisi illud animum tibutantem paulisper iterum erigeret, non damnari etiam conatus optimis proximos, nec ea postulari tam exactè à juvene, quæ senes

lēnes dēmūn facti longā exērcitatiōne , & tēmportū utrū  
optimo etiam in juris studiō artifice , reportātus . Solatūr  
porro me & in Civiili jure p̄fōctūm aliquā fiduciā , quos  
& in hac olim Acadēmiā , tum & in inclyta Fridericianā du-  
ctū Summi & illustris hodiē Germaniæ JCti Samue lis Stry-  
kii , Præceptoris & Patroni mei magni , adaugere pro virililit-  
cuit , qui semper etiam ex quo tempore Academicum mu-  
nus gero , eō vela direxi , & omnes subcīsivas horas comparsi , ut vocationem aliquando à munere Professoriā na-  
tus fructūm horū laborū in Reipublicā & vita cīvili  
usus explicare possem , quos nunc porro Acadēmia , cum  
ita & quandiu divinæ providentiæ placuerit , impertiri cum  
gaudio decrevi . Sicuti autem ad utilitatē proximi & glo-  
riam Dei upiice mea studia referto & relaturus sum , ita & mi-  
nimè ero culpandus , quando in humanis ad mediocriū  
laudem solummodo accedam , ubi eminentissimos Papiniā-  
*ist. Ec-*  
*f. lib. 18.*  
*ap. 6.*  
nos nostros venerari quidem , non autem imitari licet . *Pul-*  
*cherrimum* , inquit Nicephorus Callistus , *decedentis Principis*  
*epitaphium successor bonus* . O ! utinam funeri meo quandam  
hæc fama superesset , me beati antecessoris successorem fuis-  
se non prætereundum , sat mercedis pro impensis laboribus  
mihi à posteris tributum reputavero .

TIBI vero o ! Omnipotens & aeterne DEVS , fonti o-  
mnis justitiae & bonitatis , humillimas submissō pectore per-  
solvo grates , quod me à non poenitendis Parentibus geni-  
tum & in Acadēmiā hāc adolescentem primo dissentium ,  
deinde juvenem docentium etiam numero adscripseris . Ti-  
bi spiritum debedo , Tibi omnem meam fortunam ac benefi-  
cia , quæ plenā hactenus manu in me immerentem effudi-  
sti . Non defuere quidem , quæ semper mortales nos comi-  
tantur , in vita sæpius adverſitates , quas tamen hoc modo

temperatas , cum raro læta & tristia sine mixtura dispensentur , animadverte , ut feliores sæpius res easdem exciperent , & apertissimam incolumitatis meæ materiam in se continerent . Tibi æternum laudes decantabo , Benignissime Pater , qui huc usque paternâ manu gressus meos direxisti , labanti opem tulisti , infirmum tuâ fortitudine & potentia roborasti . Praesto sis mihi porro & laboribus meis , ô ! summa Bonitas , & quamdiu in inconstanti & dubia mundi hujus scenâ verlandum est , fac ita actiones meas instituam , ita actiones aliorum dirigere contendam , ut tandem carnis hujus vinculis liberatus , æterni gaudii per filium unigenitum particeps reddar . Adsis mihi DOMINE , porro , prout haec tenus fecisti , cœlesti tuâ gratiâ , & Spiritum Sanctum nunquam à me auferas .

Sacris DEO peractis , ad SERENISSIMAM ac POTENTISSLIMAM DOMVM BRVNSVICO-LVNEBVRGICAM , simulque Principes ejus Clementissimos , quibus & Parenst meus Avus & Proavus longâ jam annorum serie , non quidem academica , sed negotiosa & exercitâ vitâ propiori servitio mancipati sunt & fuere , mea quoque spectat oratio . Ac prium quidem me devotissimum servum tuum profiteor Heros omni ævo Commemorande , GEORGI LVDOVICE , S. R. I. Elector Potentissime , Dux Brunsv. & Luneb. Domine ac Princeps Serenissime , Princeps sicuti aliis Gentis tuæ ac Majorum ornamentiis ita justitiâ maximè , clementiâ & juvandi , ac suum cuique tribuendi gloriâ cœlebrande , Heros & in sagâ & in togâ incomparabilis , qui dubias hodiè terrarum Dominorum , & liberarum gentium lances unâ cum foederatis Principibus adæquare satagis , ac de partis haec tenus & Galliae regi fatalibus fere vietoriis non ultimam Tibi gloriam pure meritoque vendicas . Tibi qui hodie

hodie Academiæ Juliane Magnificentissimus Director incre-  
dibili providentiâ invigilas, imo de pectore grates persolvo,  
quod me civein ac subditum, in tuo territorio natum, ultra  
votum ad meliorem fortunam provehere, studiisque  
meis patriæ ac Principibus Clementissimis unice consecra-  
tis ulterius aliquod incitamentum & præmium perbenigne  
concedere volueris. Ego, quoad spiritus hos artus reget,  
nunquam tam ingentis in me collati beneficij ero im-  
memor, & cum opere ipso tantam assequi clementiam, im-  
becillitatis meæ probè conscius, non possum, votorum & ar-  
dentissimorum precum pietate illud resarcire minimaum al-  
laborabo, quod ultra tenuem meam esse fortunam & facul-  
tatem intelligo. Deus Ter. Opt. Maximus longum Te ter-  
ris superesse jubeat, Tibique felix & tranquillum Imperium,  
læta omnia & prospera sicuti hactenus, ita & in posterum  
quoque evenire jubeat.

Deinde ad Tuæ etiam Principalis Clementiæ aram  
advolvor, SERENISSIME PRINCEPS ANTONI VLRICE,  
Domine ac Princeps Clementissime, Tibique pro immor-  
tali quod in me contulisti beneficio, quas possum humilli-  
mas gratias spondeo, quin & quando nihil aliud fors mea  
concedere videatur, memoriam me sancte servaturum tam  
insignis beneficij promitto. Dudum est, quod Magnum  
TE Principem orbis terrarum veneratur, subditi tui admiri-  
rantur, exteri stupent, cum præter heroicas virtutes & in  
Te quoque dotes resplendent Sereniss. Majorum Tuorum  
propriæ, prudentia & liberalium studiorum amor, quibus  
tutisque & Magni Principis & providi Rectoris nomen me-  
reris. Servet Deus senectam Tuum venerabilem ab omni  
molestiâ inoffensam, faxitque ut diu adhuc prudeasti tuo  
regimine Brunswicensis terræ perfici, longumque tanto  
Prin-

Principe gaudere possint, qui divino consilio suorum commoda prospicere collaborat. Protege Deus universam Brunvico Luneburgicam Domum, & ita porro eandem clementi tua dextrâ dirige, ne adversa fortuna unquam confutatur, secundiori autem magis magisque indies efflorescat.

Vobis autem, Venerandi Academiae Patres, Collegæ & Fautores Honoratissimi, perpetuam meam observantiam testor, quod & amore & benevolentia me concorditer habetenus fovere volueritis. Evidem, occasione sic ferente, publicè jam profiteri possum, habere me in Vobis & fautores, & amicos. Neminem vestrum aut à me, qui contentiones omnes & simultates detestor, aut culpa meā ad offensam provocatum, aut mihi reconciliatum unquam memini, sed ita potius vobiscum vixisse cum voluptate recor dor, ut temporis illius in Academiâ nostrâ exacti neutiquam me huc usque poeniteat. Certetis mecum, O ! amarissimi Collegæ, ulteriori & fraterno affectu, & vobis vicissim persuadeatis, eodem me animo erga Vos semper futurum esse, quo haec tenus fui, neque unquam me vel odio vel amore, vel quocunque demum in transversum homines saepe abripiente affectu dimotum iri à voluntate pacis & concordiae, quam altissime animo meo & toto pectore concepi.

Denum & ad vos accedo Virtutum & literarum cultu ornatissimi Commilitones, Amici Nobilissimi, quibus & haec tenus studia mea dedicata sunt, & in posterum quoque consecrabuntur. Quemadmodum, citra omnem jactationem quod dixerim, vestram voluntatem & amorem erga me abunde satis intellexi, quando scholis Moralibus, Naturæ atidem & Gentium juris interesse frequentes haec tenus vobis: ita eundem quoque porro mihi & exopto, & pollicor,

ceor, quando ex Serenissimorum Principum ac Dominorum  
meorum clementi suffragio Institutiones Imperiales, & jus  
Criminale vobis praetere in posterum jubeor. Haec huius  
etenus, muneric mei ratione id exigente, Naturae & Gen-  
tium juris principia, moralis doctrinæ fundamenta; quibus  
rite positis, feliciori nunc & recto ac regio itinere ad ipsius  
Civilis jurisprudentiae sacros recessus progredi poteritis.  
Novi, & nunquam ex vobis collaudare satis possum erectio-  
ra ingenia, quæ & in amoribus habent quæ docui morum  
studia, & iis etiam quibus nunc admoveor, maximo suo  
olim commodo, delectantur. Evidem, Amici & Commili-  
tones Nobilissimi, si quid haec tenus in amplissimo, quod or-  
dior, doctrinæ genere profeci, aut me prefecturum in po-  
sterum sensero, omne illud in vestrum emolumentum im-  
pendendum erit, nullaque re magis lætabor, quam si fre-  
quenti istorum me stipatum commercio animadvertisam,  
quotquot non voto solum sed & efficaci voluntate in amœ-  
nissima hæc juris studia feruntur. Agite ergo, Amici, eam  
mihi voluptatem non invidete, ut qui mores haec tenus ve-  
stros ad decus & honestatem formare conatus sum, in  
vobis etiam deprædicare possim, juxta morum doctrinam  
actiones quoque civiles in foro regendas non infeliciter  
nec infausto sidere me tradidisse, vosque solita diligentia  
conatus meos acuisse, & satis in hac mortalitate me  
assecutum meis laboribus repu-  
tavero.

F I N I S.









































